

1. concl. Sit igitur prima conclusio, *Ecclesia in morum doctrina eorum, qui ad salutem necessarii sunt, errare non potest.* Exempli causa ponatur aliquid, quod pateat latius; an fideles laicos Eucharistiæ sacramentum sub utraque specie accipere oporteat, an panis potius species sola satis sit: quæstio est earum rerum, sine quibus salus esse non potest. In hac ergo & aliis id genus controversiis ecclesiæ decretum certum est. Itaque si quid necessario vel agendum vel vitandum firmo iudicio definit, in hoc errare nequit, sicut ne in fide quidem. Deus enim non deficit in necessariis, ut sæpe ante dictum est: in doctrina ergo morum eorum qui sunt ad salutem necessarii, iudices & doctores ecclesiæ a Deo dati errare non queunt. Confirmat autem illud vel maxime, quod Dominus Petro inquit (13). *Pasce oves meas.* Et Paulus, *Dedisse Deum pastores & doctores,* ait (14), *ad consummationem sanctorum, ut non circumferamur omni vento doctrina.* At si errarent in moribus eiusmodi, non pascerent salubriter oves. Non enim moralis doctrina minus exigitur ad pastum ovium Christi salutarem, quam fidei disciplina. In his igitur ecclesiæ pastores errare non possunt. Adde, quod Dominus apud Ioannem (15) pollicitus est, spiritum docturum ecclesiam omnem veritatem, scilicet, ad vitam æternam consequendam necessariam. At utraque veritas necessaria est, & quæ ad contemplationem pertinet, & quæ ad actionem: in utraque ergo definienda spiritus docet ecclesiam.

Præterea, apostolus in priore ad Timotheum epistola, capite 3. *Hæc, inquit, scribo tibi, ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.* Ea autem, quæ ibi scribebat Paulus, ad morum veritatem magna ex parte spectare perspicuum est. Est ergo ecclesia firmamentum, non eius veritatis solum, quæ in contemplatione cernitur, sed illius etiam, quæ aliquid molitur ut faciat. Nimirum, ut sciamus quomodo oporteat nos in domo Dei conversari.

Præterea si ecclesiæ pastores, in concilium præsertim congregati,

(13) Ioann. ultim. (14) Ad Ephes. 4. (15) Ioann. 15.

gregati, leges & præcepta vitæ finistre interpretarentur, ut videlicet, quæ essent ad salutem necessaria, ea non necessaria dicerent, aut quæ contra minime essent necessaria, hæc esse necessaria definirent: cum Christus dixerit, *Super cathedram Moysi sederunt scriba & Pharisei, quæcunque dixerint vobis facite:* Et rursum, *Qui vos audit, me audit:* ecclesia certe pastores errantes sequens iuxta quod illi præscriptum est, huius erroris Christum præcipuum haberet auctorem. Ad hæc, si lex Evangelica manca, & imminuta non fuit, ut revera non fuit, eos omnino mores præfinivit, qui essent ad salutem necessarii. Imperfectus enim legislator est, nisi ea præscribat, sine quibus reipublicæ finis constare non potest. At spiritus veritatis apostolis, eorumque successoribus suggerit (16) quæcunque Christus dixit nobis: in præceptis ergo vitæ necessariis errare illi non possunt. Item Matth. 16. *Tibi, inquit Dominus Petro, dabo claves regni cælorum.* Regnum autem cælorum utraque ignoratione clauditur, & fidei & morum, ecclesia ergo utrasque quæstiones aperire Christo auctore potest, utrosque nodos solvere, sive ad fidem, sive ad mores attineant. Huc enim illud accedere credendum est, *Quæcunque solveris super terram, erunt soluta & in cælis.* At inquis, intelligitur clave non errante. Bene volo. Sed aliud est de privatis pastorum iudiciis differere, quæ negligere etiam aliquando possumus, aliud de ecclesiæ communibus, quæ perinde, ut ecclesiæ decreta habemus amplecti. Et quidem cum Pontifex, quicumque ille sit tandem, quicumque privatim agit solvitque aut ligat, errare per ignorantiam aut etiam malitiam potest, & abuti clavium potestate. At cum publica sunt totius ecclesiæ iudicia, eaque in rebus ad salutem necessariis: ecclesiæ totius communes iudices, quales sunt concilii patres, errare nequeunt, ne per huiusmodi errorem Christiana tota plebs in ignoratione veritatis ad vitam instituendam necessariæ versetur.

Præterea, concilium Constatiense sess. 13. condemnat ut hæreticos eos, qui dixerint, ecclesiam errare in consuetudine

(16) Ioann. 15.

dine administrandi populo Eucharistiam sub una specie tantum. Et Martinus quintus in literis, quibus concilium approbavit, qui hoc ecclesie institutum damnant, eos definit tanquam hereticos vel sapientes haeresim coercendos. Ecclesia igitur in morum huiusmodi iudiciis non errat, atque ex consequenti ne concilia quidem summi Pontificis auctoritate firmata.

2. concl. Huius vero conclusionis & altera consecutaria esse videtur, Ecclesiam, cum in re gravi quidem & quae ad Christianos mores formandos apprimè conducatur leges toti populo dicit, non posse iurare quicquam, quod aut evangelio aut rationi natura contrarium sit. Non ego hic omnes ecclesie leges approbo: non universas poenas, censuras, excommunicationes, suspensiones, irregularitates, interdicta commendo. Scio nonnullas eiusmodi leges esse, in quibus si non aliud praeterea quicquam, at prudentiam certe, modumque desideres. Id ergo dico, summorum Pontificum, conciliorumque praecipua, scita, sanctiones, omnibus nobis probatum iri, si moribus fidelium instituendis sint necessaria. Si enim ecclesie consuetudo, quod modo ex concilio Constantiense afferebamus, evangelio adversari non valet, ergo ne ecclesie quidem lex evangelio adversabitur.

Deinde ecclesia non potest definire quippiam esse vitium quod honestum est, aut contra honestum esse, quod est turpe: ergo nec sua edita lege probare quicquam, quod evangelio, rationive inimicum sit. Si enim ecclesia, vel expresso iudicio, vel lege lata turpia probaret, aut reproberet honesta, hic iam nimirum error non solum fidelibus pestem ac perniciem afferret, sed fidei etiam quodammodo adversaretur, quae omnem virtutem probat, universa vitia condemnat. Accedunt illa, *quacunque dixerint vobis, facite, & qui vos audit, me audit.* Quibus praecipimur ecclesie legibus obtemperare. Ita si errat illa, Christus nobis erroris auctor est. Quae qui videat, non modo indocte, verum etiam impie faciat, si ecclesiam in morum doctrina errare contendat, praefertim si mores & praecipua vivendi sint ad salutem necessaria. Quae autem ratio id de ecclesia convincit, eadem convincit de concilio, in quo universalis ecclesie auctoritas re-

fi-

fidet. Quare quemadmodum concilium falsa plebi credenda proponere nequit, sic nec mala potest proponere facienda. Proponere, inquam, firmo, certoque decreto, quo omnes & ad credendum, & ad faciendum sub aeterna poena obligentur.

Sed an sit haereticum asserere, vel aliquam ecclesie consuetudinem esse malam, vel aliquam ipsius legem iniustam, non ausim definire. Nam licet concilium Constantiense, sess. 13. statuerit, eos pro hereticis condemnandos, qui affirmarint, ecclesiam errare in more communicandi plebem sub una specie tantum: at eo tempore statuit, quo sine capite erat. Contendit autem Caietanus in opusculo de auctoritate Pap. & const. & in apolog. cap. 20. & 21. Turrecremata item 3. libr. cap. 32. & 33. concilium mutilum sine capite in decretis fidei ferendis nullam habere certam auctoritatem. Et quanquam id multis quidem argumentis suadere nituntur, sed apud me illud est maximum, quod sicut Deus non deficit in necessariis, ita non abundat in superfluis. Cum ergo sola auctoritas deponendi Pontificem hereticum, & aut eligendi, aut decernendi catholicum sit ecclesie necessaria in casibus, quibus ecclesia concilium sine capite cogere iure suo potest: nihil cause est, cur ampliorem potestatem concilio imperfecto tribuamus. Reliqua siquidem per integrum concilium expediri possunt, vel electo Pontifice Catholico, qui non erat, vel definito certo, cum inter multos quisnam esset verus Pontifex dubium erat. Adde quod, ut supra dictum est, concilii dogmata non sunt firma nisi a Romano Pontifice confirmantur. Quando ergo concilium sine capite est, non habet dogmatum certitudinem. Praeterea Martinus quintus in literis, quibus concilium probat, non simpliciter probat illum articulum, sed solum definit eos qui docuerint ecclesiam in consuetudine eiusmodi errare, esse vel ut hereticos, vel ut sapientes haeresim condemnandos. Quod ergo Martinus concilio praesidens non est ausus nomine haereseos condemnare, id ego graviore censura accusare non audeo nec debeo. Quod si in more ad salutem necessario, qualis ille videtur esse, de quo in concilio Constantiensi erat controversia, tanta fuit Martini modestia, quanto nos modestio-

res

res esse oportet in aliis erroribus condemnandis, qui consuetudini ecclesie minime ad salutem necessariae refragantur? Morem circumgestandi solemnem processione per vias publicas Eucharistie Sacramentum Lutherani reprobant. Si originem erroris & principium spectes, haeresis tibi erit. Nam ideo illi morem hunc circumferendi Sacramenti rident, quia veram Christi praesentiam in Sacramento negant. Sed si ipsum in se errorem contempleris, haeresim sapit, temeritas & impudentia est. Quamvis enim multis nominibus hic error est notandus, non tamen est haeresis: cum etiam si in hac consuetudine erraret ecclesia, non proinde in gravioribus rebus eius periclitaretur auctoritas. Quae causa concilio Tridentino fuit, ut Canonem sextum de Eucharistiae Sacramento caute formarit in haec verba, *Si quis dixerit, in sancto Eucharistiae Sacramento Christum non esse cultu laetitia etiam externa adorandum, atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum, nec in processionibus secundum laudabilem ecclesiae consuetudinem solemniter circumgestandum, Anathema sit.* Non enim eos Anathemate simpliciter percellit synodus, qui ritum illum ecclesiae reprehenderit, sed qui idcirco hoc faciunt, quia nec praesentiam corporalem Christi in Eucharistia admittunt, atque adeo ne ipsius quidem adorationem & cultum. Atque haec eadem fortasse causa Martinum quintum impulit, ut qui reprehenderent ecclesiasticam illam consuetudinem impartendi Eucharistiam populo sub una specie eos non ut haereticos, sed ut sapientes haeresim condemnarit. Cum enim sub utraque olim specie plebs Sacramentum Eucharistiae acceperit, idque apostolorum auctoritate & usu confirmata, non erat haereticum in dubium vertere, an vetus ille ecclesiae mos novo esset praefendus. Sed quoniam Wiclefistae idcirco asserabant ecclesiam errare, quia existimabant necessarium esse plebi ad salutem utramque Sacramenti speciem sumere, huc detorquentes illa Domini verba, *Nisi manducaveritis*, &c. prudentissime Martinus quintus vituperationem ecclesiastici novi moris non dixit haeresim esse, sed haeresim sapere. Est quoque illud argumentum grave, cur huiusmodi erroribus haereseos nota non inuratur: quod, ut postea dicemus, non est haereticum credere ecclesiam hominibus in divos referendis

dis errare posse. At iubet ecclesia interdum divos, quos huiusmodi honore afficit, peculiari die festo, & cultu colere: non est igitur haeresis astruere, in hac de uno aut altero divo colendo lege ac consuetudine ecclesiam errare. Sed intelligendum est, ecclesiae mores quosdam a Christo & Apostolis ecclesiae traditos, in quibus qui ecclesiam errare diceret, hic erroris eius Christum & apostolos auctores faceret. Quamobrem haereticus censeretur. Ut Iconomachi, qui ecclesiam in veneratione & cultu imaginum errare asseruerunt. Alii vero mores sunt post apostolos inducti, in quibus quamvis ecclesia erraret, non propterea fides periclitaretur. Sine periculo igitur haereseos teneri potest, ecclesiam in aliqua lege & more posse errare. Sed de secunda conclusione haec tenus. Sit tertia conclusio.

In moribus non toti ecclesiae communibus, sed qui ad privatos homines vel ecclesias referuntur, errare per ignorantiam ecclesia potest: non in iudicio solum rerum gestarum dico, sed in ipsis etiam privatis praeceptis & legibus. Cum quis enim occulte una uxore habita alteram ducit publice, iubet illi ecclesia, ut priore relicta posteriorem accipiat. Qua in re sine dubio fallitur, & id praecipit homini, quod rationi evangelioque adversum est. Huius vero conclusionis veram & idoneam causam Innocentius tertius reddidit in capit. (17) *A nobis de sentent. excom.* in haec verba. *Iudicium Dei veritati, quae non fallit nec fallitur, semper innititur: iudicium autem ecclesiae nunquam opinionem sequitur, quam & fallere saepe contingit & falli: propter quod contingit interdum, ut qui ligatus est apud Deum, apud ecclesiam sit solutus: & qui liber est apud Deum, ecclesiastica sit sententia innodatus.* Haec autem, quae perspicua esse videntur, breviter & sine disceptatione diiudicanda sunt. Nec enim omnia nos, ut quaeramus, exponimus, sed ut explicemus. Hoc itaque loco non tam conclusio, quam conclusionis causa consideranda est. Nam inde liquet, id quod est animadversione dignissimum, certa & firma ecclesiae decreta esse non posse, quae non certis & firmis principiis ac funda-

Zz

da-

damentis innitantur. Quocirca, si vel unum ex his, a quibus ecclesie iudicium pendet, incertum est, certum ecclesie decretum esse non potest: siue quaestio speculativa sit seu practica, sic enim nostri loqui solent. Conclusio quippe, ut in dialecticorum proverbio est, debiliorem partem sequitur, & si unumquodlibet principiorum claudicat, eam quoque ex illa parte debilitari necesse est. Qua ex re facile intelligitur (18), ecclesie iudicia, quae ab incertis hominum testimoniis proficiuntur, infirma esse ad certam & exploratam faciendam fidem. Quale illud est, quo sanctum aliquem divorum catalogo ascribendum censet. Nec tamen impune licet huiusmodi decreta in dubium revocare. Quin temerarium & irreligiosum est, in divis consecrandis ecclesie abrogare fidem. Iniuriam enim facit Martyri, qui orat pro Martyre, ut capit. *Cum Matth. de cel. miss.* Innocentius tradit: iniurius ergo est, ac multo etiam magis, qui martyrum catalogo adscriptum e divorum numero reiicit. Id quoniam temere & inconsiderate faciet, iure profecto ab ecclesia punietur.

Mox etiam, si unum aliquod huius generis decretum in quaestionem veniat, certe Hieronymi, Ambrosii, Augustini, ac reliquorum sanctitatem sine crimine in quaestionem vocare poterimus, atque adeo asserere illos cum daemoneb condempnatos. Ita posses eos maledictis concidere, ac vexare contumeliis, quae omnia aures sane fidelium perhorrescunt. Quod si viris iustis in divorum catalogum reponendis ecclesia errat, nimirum non esset valde absurdum, divorum omnium cultum ab ecclesia explodere eorum, qui post Clementem consecrati sunt. Quo quid aut stultius aut impudentius dici potest? Item multum refert ad communes ecclesie mores scire, quos debeas religione colere: quare, si in illis erraret ecclesia, in moribus quoque graviter falleretur. Nec differt diabolus colas, an hominem condemnatum. Atque si ecclesia abstinentie legem rogaret, quae vel rationi vel evangelio adversa esset, turpiter ab illa profecto erraretur: turpiter ergo etiam errabit in

(18) Antoninus 3. part. tit. 12. cap. 8. Caiet. opusc. de indul. ad Iuli. cap. 8. D. Th. in quotl.

doctrina morum, si legem ferat de colendo divo, quem colere, si divus non est, & cum ratione & cum evangelio pugnat. Ne igitur tantus error in ecclesia sit, Deus peculiariter providere credendus est, ne ecclesia, quamlibet hominum testimonia sequatur, in sanctorum canonizatione erret. Cuius peculiarissimae providentiae abundae magnum argumentum est, quod nunquam infirmata est fides ab humanis testibus semel in huiusmodi iudiciis suscepta, quod in causis civilibus saepe accidit. Quae si singula forte non movent, universa certe tamen inter se connexa atque coniuncta movere debent, ut qui fidem in his ecclesie detrahunt, eos non haereticos quidem, sed temerarios, impudentes, irreligiosos esse credamus. Quibus rebus expositis, primum, secundum, ac tertium argumentum facile refelluntur. Nam quae de postremo disputari possunt, illa nobis alio tempore atque ad aliud institutum, si facultas erit, explicabuntur.

Nunc illud breviter dici potest, qui summi pontificis omne de re quacunq; iudicium temere ac sine delectu defendunt: hos sedis apostolicae auctoritate labefactare, non fovere: evertere non firmare. Nam ut ea praetereamus, quae paulo ante in hoc capite explicata sunt, quid tandem adversum haereticos disputando ille proficiet, quem viderint non iudicio, sed affectu patrocinium auctoritatis pontificiae suscipere, nec id agere, ut disputationis suae vi lucem ac veritatem eliciat, sed ut se ad alterius sensum voluntatemque convertat? Non eget Petrus mendacio nostro, nostra adulatione non eget (19). Ordines igitur vel probare vel refellere, quoniam non e scientia id solum, sed etiam e prudentia pendet, non ad ea pertinet, in quibus summus pontifex errare nequit. Atque iam vel in concilio Lateranensi. (20) advertebatur religionum nimiam multitudinem, quam nunc esse videmus, valde ecclesiae Christi incommodare. Concilium quoque Lugdunensi. fatetur, quod importuna petentium inhiatio contra synodi decretum aliquarum religionum confirmationem extorsit. Vnde quosdam ordines per sedem etiam Apostolicam approbatos, tanquam ecclesiae

Zz 2 vel

(19) De rel. dom. cap. ult. (20) De rel. dom. in 6.

vel noxios vel inutiles abolendos esse ita decrevit, ut nullum deinceps ad eorum professionem admitterent. Et Celestinus quintus (21) statum vitamque fratricellorum suo privilegio confirmavit: quod tamen confirmationis privilegium Ioannes 22. aperte infirmum esse dixit: quod Bonifacius ex certis rationabilibus causis (22) ea, quæ Celestinus concesserat, viribus penitus evacuasset. Paulus item tertius ordinem, quem in Italia frater Baptista Cremensis instituit, literis suis probasse dicitur: at nuper & ordo ille a Venetis est edicto publico explosus, & Baptistæ doctrina, cui illius ordinis homines inherabant, Romæ est condemnata. Imbecillum itaque eorum argumentum est, qui ex huiusmodi privilegiis, quæ his facile temporibus vel conceduntur, vel potius extorquentur, novas religiones non aliter ac de cælo lapsas excipiendas esse confirmant: eas quoque quæ nullam regulam ex approbatis habent, nullam vel a suis editam profitentur. Nec eius generis privilegia certa sunt sedis Apostolicæ iudicia, quibus scilicet omnes fideles astringantur. Satis fuerit, si eam habeant auctoritatem, quam epistolæ decretales. Quarum nonnullas constat a posterioribus meliore consilio refutatas: quoniam non ex firmo decreto, sed ex pontificum opinione prodierunt. Et quidem ante Divi Thomæ tempora adeo restricte & gravate novi ordines admittebantur, ut ex tam gravi angustoque iudicio probabile argumentum prudentis consilii sumeretur. Nostro vero hoc sæculo tam multæ sunt religiones a pontificibus confirmatæ, ut qui eas omnes tueri voluerit tanquam ecclesiæ vel utiles vel necessarias, hic imprudentiæ, ne dicam stultitiæ nomine, iure optimo summisque rationibus arguatur. Sed iam liber de conciliorum auctoritate concludendus est. Si prius tamen eorum conatum refutemus, qui in huius loci firmissimam soliditatem impetum facere & incurSIONem voluerunt.

CA-

(21) In ext. Sancta Romana de rel. dom.

(22) Vide etiam extrayag. Quia quorundam, de verb. signific. eiusdem Ioann. 22.

CAPVT POSTREMVM.

In quo refelluntur argumenta capitis primi.

Primum igitur adversariorum argumentum ex his, quæ superiore libro dicta sunt, promptissime refellitur. Ostendimus enim ecclesiæ nomen principibus, & maioribus solere tribui: & in illis reipublicæ sitam esse auctoritatem, quos Spiritus Sanctus (1) posuit episcopos regere ecclesiam Dei. Ac si ecclesia columna est & firmamentum veritatis, apostoli etiam sunt ecclesiæ fundamenta, ut ad Ephes. cap. 2. & Apoc. 21. dicitur. Corporis quoque robur & firmitas a capite pendet, quod si tollas, cadat corpus necesse est. Episcopi vero populorum capita sunt. Et Petrus ecclesiæ caput est, quemadmodum sequenti libro demonstraturi sumus. At sunt idiotæ episcopi. Valentinus olim, & similes imperitiam sanctorum presbyterorum arguerunt, non contemplantes, quanto pluris sit idiota religiosus a blasphemo & impudente sophista, quemadmodum Irenæus ait lib. quinto. Sabinus quoque idem obiecit concilio Nicæno, ut lib. 2. hist. trip. c. 8. scribitur. Sed & Apostoli idiotæ erant: per quos tamen Deus sapientes huius mundi confudit. Videte, inquit (2), vocationem vestram fratres. Quia non multi sapientes: sed quæ stulta mundi sunt elegit Deus, ut confunderet sapientes. Non propter sapientiam maiorem pastores ecclesiæ firmi in fide & doctrina sunt, sed propter peculiarem Christi procuracionem, ne pastoribus, & doctoribus vacillantibus populus fluctuet, circumferaturque omni vento doctrinæ. Quid vero si sancti episcopi non sunt? An solvendi & ligandi potestatem amittunt? Num pascendi auctoritate earent? Super Cathedram, inquit (3), Moysis sederunt scribae & Pharisei: quodcumque dixerint vobis facite, secundum autem opera eorum nolite facere. Quoniam vero, cum ab aliis plerisque, tum ab Augustino maxime ostensum & patefactum est, per malos etiam

Respon-
ad 1.

(1) Act. 20. (2) 1. Cor. 1. (3) Matth. 23.